



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Fictio

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

raliter peccat, & existens in gratia, referre se actualiter in Deum ex præcepto. Sil. verò in verb. dominica. §. 6. tenet contrarium, & rationabilius, ut supra hic est determinatum, ideò sic tenendum, ut etiam Ca. ibi.

27 SABBATVM non est feriandum, ne videamur iudaizare, nisi propter aliquod festum occurrens, ut patet in ca. peruenit. de cons. d. 3. contra quod quidam diebus nostris, sub fitione reuelationis factæ à beata Maria virginæ, efficere volebant.

FEVDVM.

FEVDVM: quia est materia pertinens potius ad forum seculare, quam ad confessores, prætermitto. Si quis tamen voluerit de hoc informari, vadat ad rubricas de feudis, videat summistas in suis locis. An religiosus succedat in feudū, vide Od. in authen. ingressi. C. de sac. sanct. eccle.

FICTIO.

1 FINGERERE aliquid, id est, ostendere dicto, vel facto, quod non est rei veritate, vel factio, quod non est rei veritate, est speciale peccatum virtuti veritatis oppositum, si ex hac intentione fiat; secundum Thom. 4. sentent. distinct. 4. q. 3. arg. 2. quolib. 2. ad 1. Et potest esse peccatum mortale secundum intentionem fingentis, & nocuum sibi, vel proximo illatum, sicut de mendacio dicitur. infra, Simulatio. §. 1.

2 FICTIO in sacramentis peccatum mortale est, quia sacrilegium committitur, cum fiat notabilis iniuria sacramento, ut cum quis fingit confiteri, vel consecrare.

3 FINGERERE ad aliquid significandum maxime vitæ animæ, non est contra veritatem, & consequenter nec peccatum, sicut quando Christus finxit se longius ire, & ut sæpe faciunt prædicatores: infra Simulatio. §. 1. Non est idem fictio iuris, & præsumptio: quia primum cum veritate stare non potest, secundum verò sic. C. de rei. vx. act. l. vnica.

FIDEIVSSOR.

1 FIDEIVSSOR est: qui alienam obligationem in suam fidem reci-

pit principali tamen manente obligatione. Inst. eod. tit. in prin.

2 FIDEM iubere potest quilibet habens suorum bonorum liberam administrationem: unde mulier non potest pro viro fidem iuberè. ff. ad se. consu. velle. libr. 2. in gloss. neq; etiam pro altero. l. quamuis. ff. ad Velle. nisi in sex casibus, qui ibi ponuntur à Tabul. ibi. §. 1.

3 CLERICVS nullo modo secundū veriorē opinionem potest pro laico fidem iuberè. capitul. 1. eod. tit. & 11. q. 1. can. te quidem in tex. & in gloss. nisi in casu necessitatis, in quo obligaretur subuenire indigenti. cap. videntes. 1. 2. q. 1. Pro ecclesia tamen, vel pro alio clerico potest, ut inca. 1. eod. titul. & si fidem iubeat obligatur. ca. peruenit eod. titul. tamen de proprio patrimonio, vel redditibus beneficij, quos fecit suos: non autem in præiudicium ecclesiæ, ut limitat Host.

4 FIDEM iuberè non potest religio sus. inc. pe. eod. titul. etiam si esset Abbas, nisi hoc fiat de licentia abbatis, & assensu maioris partis capituli, ut ibid. Non enim habent aliquid proprium de quo possint disponere.

5 HÆRES fideiusoris obligatur, sicut & fideiusor. l. potest accipi. ff. de fideiuss. Et quia successor prælati, non est eius hæres, ideò non tenetur. arg. eorum quæ dicuntur, secundum Hostien. supra, quia non in præiudicium ecclesiæ.

6 SOCRATES promiserat presentare Titium sub pena c. ducentorum: postmodum Titius commisit crimen, pro quo fuit damnatus ad mortem, vel bannitus, & ipse fugit, si Socrates fuit in dolo, vel lata culpa respectu maleficij postea perpetrati, in conscientia tenebitur damno proximi: secus si non fuit in culpa. Talis casus Bononiæ accidit, & ita fuit conclusum, ut not. Tabul. ibi. §. 5. Et est casus in l. sed & si quis rei. ff. si quis cau. in principio.

7 SI reus decapitandus fugiat, qui pro eo fidem iussit, non decapitabitur si non fuit in dolo, sed pecunialiter punietur,